

DE  
**P O M P H I S.**

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. M. JANUarii A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**CAROLUS J. VELTEN,**

RHENANO-ROBENSIS.

---

**OPPONENTIBUS:**

F. BERING, med. et chir. Dd.

L. ALFTER, med. et chir. Dd.

A. FONCK, stud. jur.

---

**BEROLINI,**

TYPIS NIETACKIANIS.



VIRO ILLUSTRISSIMO

**FRIDERICO NASSE**

MED. CHR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSI-  
LIARIO INTIMO, PROFESSORI ORDINARIO, DIRECTORI  
CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITT. COMPL.  
SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO

ATQUE

P A T R I

OPTIMO, DILECTISSIMO

**ANTONIO VELTEN**

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, CIRCULI URBISQUE  
BONNENSIS PHYSICO, EQUITI ETC.

H U N C   L I B E L L U M

SACRUM ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

## PROOEMIUM.

---

**C**um nescirem, quam mihi rem potissimum eligerem ad dissertationem rite conscribendam, consilium petii viri clarissimi ac praeceptoris meritissimi, professoris Nasse, qui mihi materiam, in paucis hisce pagellis elaboratam proposuit, quam eo libentius amplexus sum, cum nova adhuc esset tanque memoratu mihi digna videretur, ut adumbratio ejus inter alias morborum cutis perscrutationes suam certe dignitatem teneret. Quae quidem perscrutatio mea quam levis sit, bene probeque scio; sed quoniam nihil est in arte medica, quod leve habeatur neque quidquam tam exiguum, quod supervacaneum ac nulla explanatione dignum sit, ego quoque opto, ut quantum vires medici tironis valent, addiderim ad accuratorem hujusce conditionis cognitionem. Quod num mihi contigerit, alii dijudicent, mihi nihil aliud restat, quam ut praeceptoris, optime de me merito, qui consilio ac libris me humanissime semper adjuvit, publice gratias agam.

---

**Est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est  
scientia cum ignorantia conjuncta atque temperata,**

**Lactant. de falsa sap.**

**J**am satis constat, morbos cutaneos inter eos fuisse, qui, postquam per multa saecula ignoti et tanquam intacti fuerunt, recentissima primum aetate magis intellecti et explanati sunt. Quamvis enim jam antiquissima artis medicae temporibus paululum aliquid de illis notum, vel potius divinatum a variis scriptoribus esset, tamen maxima pars aut plane incognita, aut non satis intellecta remansit. Re vera autem magnopere admirandum est, quod, cum ars medica observatione et experientia magis magisque maturescere inciperet ac multae res, quae antea erant occultae et in tenebris versabantur, summo ingenio praeclarissimorum virorum ac studio in lucem proferrentur, morbi cutis quasi laterent, neque aequum in cognitione et cura progressum cum multis aliis rebus medicis tenerent. Haec vero res in eo sita videtur, quod medici veteres dignitatem forsitan horum morborum et gravitatem non satis intellexerunt, eamque ob causam tantam operam ad cognoscendos eos curandosque non adhibuerunt, quantam recentiore tempore summo jure et optimo quidem successu impendere solemus. Ad hoc accedit, quod veteres neque singulas partes, quae totum cutis organon componunt, ac nostris

demum diebus praeclarissimo modo a viris meritissimis **Breschet et Purkinje** illustratae sunt, neque cujusque partis functiones satis noverunt, ut diagnosin stabilire aut curam rationalem introducere potuissent. Primum quod ad gravitatem morborum cutis et ad vim pertinet, quam in cetera corporis organa exercent, sine dubio nemo negabit, hos morbos inter eos esse numerandos, qui maximi momenti sint et cum toto corpore arctissime quasi cohaereant. Vulgo jam neque immerito creditur, exanthema sive eruptionem sponte in cute exortam esse crisis quasi naturae medicatricis, eaque aut averti aut feliciter discerni morbum interni cujusdam organi, quod gravissimae pro vita fortasse functionis sit. Scimus ex multis hisdemque tristissimis exemplis, quae experientia, prohi dolor! quotidie adhuc docet, si eruptio repulsa subito aut neglecta sit, eam morbos et corporis et animi posse producere, qui inter periculosissimos sunt atque aut subito lethales fiunt, aut transeunt in diuturnos, qui aegrotum per totam interdum vitam vexare non desinunt ac mortem saepe praematuram adducunt. Quam multi morbi chronici, qui omnibus medendi conaminibus pertinacissime resistunt, ex hoc fonte originem duxerint. Equidem ipse observavi casum in clinico Bonuensi, memoratu dignissimum, ubi puer, tum septem annos natus scabie affectus erat, quae remediis acerbis adhibitis, subito evanuit. Sequebatur mox epilepsia simul cum perturbatione animi et puer, qui antea mirificam ingenii aciem possidere videbatur, ex eo inde tempore mente omnino captus erat. Atque talium casuum tristissimi exitus ab omnibus fere scriptoribus narrantur, etsi multi multos haud dubie silentio praetereunt. Quae cum ita



sint, morbos cutaneos ipsosque levissimos maxima cum cura et attentione tractandos esse censeo.

Multae sunt ac variae formae, in quibus morbi cutis se offerunt, neque ullum fortasse est aliud organon, quod si aegrotat, tam diversas aegritudines producere queat. Distinguunt medici papulas, squamas, bullas, pustulas, vesiculas, tubercula et maculas. Quarum quaeque forma cum certa quadam pellis conditione conjuncta est. Papulae, tubercula, pustulae, maculae, bullae interdum, sed squamae maximum indicant cutis torporem, qui vel ex principio morbi jam adest, vel inflammatoriam conditionem aut eam sequitur, quam nomine irritabilitatis adauctae aut hyperaesthesiae optime significamus; vis vitalis in pelle tum diminuta, quod cognoscitur ex functione tarda ac magna cutis insensibilitate. Vesiculae plerumque significant inflammationem vel irritabilitatem adauctam cum aut sine irritatione; ita scabies est eruptio, ubi irritabilitas aucta simul cum irritatione ex acaro conjuncta.

Sicuti autem variae sunt morborum cutis formae, ita etiam magna est systematum diversitas, quae a scriptoribus vario modo composita sunt. Inter omnes optima divisio haud dubie ea esset, quae morbos cutaneos secundum ipsam eorum naturam ac diversitatem conditionis vitalis, quae subsit, divideret. Sed re vera conquerendum est, quod processum illum, ex quo morbus quidam cutis producit, non satis novimus atque in eo explicando tanta dubitatio et obscuritas adhuc exstat, qua dividere illos ita non liceat. Praeterea plane nobis ignotum est, num sedes omnium pellis morborum, ex quibus classes singulares conformare solemus, di-

versa sit atque quamvis antea per longum tempus propagata esset opinio, morborum cutaneorum varietatem consistere in partis affectae cutis varietate, tamen haec sententia sola conjectura erat, partim cum nequaquam anatomicè probata esset, partim ei ea res obstaret, quod non tam multae sunt cutis formationes, quam morbi ipsius. Credebatur quoque antea, exanthemata et eruptiones, quae similem sive eandem speciem externam praebent, in unam eandemque classem conjungendas esse. Quae sententia quam falsa fuerit, quisque, puto, intelliget, qui hodie melius instructus est; ita enim saepe fieri debebat, ut et morbi cutanei pro iisdem haberentur iisdemque remediis immerito tractarentur, inter quos summum naturae discrimen erat, et alii, qui eandem naturam praebant, in species varias dividerentur, tanquam qui vario modo dijudicandi essent curamque diversam mandarent. Quare opus esse mihi videtur, speciem externam minus, quam conditionem cutis vitalem potius respicere et secundum eam morbos dividere; inde solummodo diagnosis stabilire ac curare morbum secundum rationem possumus, quod aliter fieri non potest, cum temere et sola experientia alioquin agi deberet. Sunt enim, ut exemplum afferam, papulae cum irritabilitate adaucta, aliae cum torpore pellis conjunctae, quarum priores longe aliam curationem, quam alterae possunt. Ita strophulus aliter tractandus, quam prurigo senilis, cum ille inveniat in infantibus, qui sensibilem cutem et irritabilem, haec in senibus, qui siccam et torpidam possident. Ita et herpes circinnatus in curatione longe differt ab herpete phlyctaenoidè, quoniam in illo haud dubie plus torpor, in hoc irritabilitas aucta

praevalet. Quare conditionem cutis quam maxime respiciendam esse nemo dubitabit, qui morbos cutaneos sanare potius, quam, ut saepe fit, repellere tantum studet. Una est eruptionum cutis species, quae quamquam frequens et jam ex multis saeculis nota, nondum tamen considerationem lucensque accuratorem experta est. Sunt *πομφόι*, quos Hippocrates jam commemorat, de quibus variae interpretationes exstant (1).

(1) Avutius Foësius *Oeconomia Hippocratis* (Francofurt. 1588. Fol.) in voce *πομφόι*.

„Πομφόι exponuntur Galeno in Exegesi apud Hippocratem ἐπιφανείσσι τοῦ δέξιματος ἰχθυόεις τε αἵμα καὶ πλάσκα καὶ ἐιμενδεῖς, eminentiae cutis tumidae simulque humore redundantes et rubicundae. Quibus verbis subindicare mihi videtur Gal. locum libr. 2. περὶ γυναικ. p. 267, ver. 12: καὶ ἐν τῆσι κνήμῃσι πομφόι ἀνίσταται, in tibiis eminentiae tumidae, laxae et rubicundae emergunt. Ubi tamen *πολγοί* legunt exemplaria quaedam manu scripta. Quam lectionem etiam amplexus videtur Erotianus, cui *πολγοί βολγοί*, exponuntur ex Melagene et βολγιά τε πολυπόδες, edulium quoddam ex pulve. Sed *πολγοί* potius lego. Indicat autem Erotianus maxime propriam hujus vocis significationem, quae huic Hippocrat. loco nisi per similitudinem quadrare nullo pacto queat; *πολγοί* enim *βολγοί* antiquis dicebantur, unde et *πολγομάχη*, quae *βολγομάχη* Athenaeo nuncupatur libr. 4, edulium ex bulbis et lente compositum. Hesychio quoque *πολγοί* exponuntur τὰ ἐκ τῶν χιθόρων καὶ τῆς ἐρίης ἐψόμενα, (si modo vera est lectio) ut facile conjicias ex fresa aut torrefactis leguminibus incoctum fuisse edulium quoddam. Verum *πολγοί* ut *βόλγοι* potius legam; *πομφών* etiam meminisset Hippocrat. lib. 2. de morb. (p. 157, 16) καὶ καταπίμπλαται πομφών, ὡς ὑπο κνίθης, et tumidis cutis eminentiis, velut ab urtica inustis, impletur.

Jo. Gorraeus definitionum medicarum libri XXIV. (Francof. 1601. Fol.) in voce *πομφόι*: „Πομφόι apud Hippocratem dicuntur eminentiae cutis tumidae simulque humore redundantes et rubicundae, ut interpretatur Galen. ἐν ταῖς γλύσσαις. Generaliter *πομφός* bullam significat, ut et *πομφόλυξ*.

Pomphi observantur in 1) urticaria febrili. In hoc exanthemate sunt pallidi coloris ac paene albidī, rubore diffuso circumdati. Symptomata febrilia per duos vel tres dies antecedunt simul cum cephalaea, membrorum lassitudine, anxietate quadam et somnolentia. Interdum syncope accedit. Pomphi ipsi apparent in cute inaequaliter et intensive saepe rubefacta; semper cum summo et intolerabili paene pruritu incedunt, sub lecti calore multum adaucto. Exanthema crescit et decrescit, sed prodit iterum frictionibus vel scalpendo. Rubor diffusus, per diem imminutus, ad vesperam levi cum febriculæ accessione ac notabili pruritus sensu redit. Pomphis erumpentibus, symptomata constitutionalia meliora, retrogressis pejora. Faciem, collum et brachia saepe corripiunt. Interdum vomitus biliosus. Num post eruptionem desquamatio epidermidis sequatur nec ne, haec est inter scriptores. P. Frank ait, post paucos dies plerumque sine epidermidis desquamatione exanthema disparere; sed Bateman ei contradicit, se vulgo vidisse levem desquamationem, quam observationem in casibus aliquot clinici Bonnenſis comprobataſ ipse vidi.

Quamvis pomphi quolibet anni tempore apparere possint, tamen in aestate multo frequentiores sunt, quam in hieme; in infantibus saepe simul cum dentitione erumpunt et sordibus primarum viarum, ita et in adultis, qui in diaetae excessus crebro incidunt. Praeterea exanthematis causae quam plurimum ex suppressa transpiratione repetendae, interdum in ipso abdomine quaerendae post vini et subtilium liquorum liberaliorem usum exoriuntur, rarius ex epidemica constitutione, aut a contagio derivari debent. Neque infrequens est observatio,

urticariam febrilem ex rebus, ob incognitam et peculiarem singulorum hominum naturam, originem habuisse ab certorum ciborum esu; ita Bateman (1) narrat se exortam eam vidisse ex fragorum, astacorum fluvialium, mytilorum, farinae avenaceae, amygdalarum, nucleorum cerasorum et druparum, baccarum aculeolarum, mororum rubi idaei, cucumerum viridium usu. P. Frank (2) adhuc addit observationes ejusdem exanthematis ex piscibus, carnibus corruptis aut muria acriore conditis. Nasse accusat cerevisiam acidam, vinum album, caseum vetustum. Quarum rerum effectus subitaneus interdum est nec desunt casus, in quibus post esum symptomata subito vehementia per horas aliquot duraverunt.

Quae nunc sequuntur pomphorum formae in chronicis numerantur, quoniam per longius tempus in pelle existentes decursum quasi undulosum habent, ita ut tum magis floreat, tum magis langueant, neque unquam cum sola culis functione turbata junctae sint. Quaeque quidem, uti videtur, eruptio acute decurrere studet, sed conditiones in organis internis vel in pelle ipsa adesse queunt, quae eruptionis decursum ex acuto in chronicum et diuturnum convertunt. Saepe enim fit, ut morbus organi cujusdam interni chronicus adsit, qui aegritudinem cutaneam acutam esse non sinit, in quo casu eruptio omnino pendet a morbo interno.

---

(1) Bateman: praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach dem System des Dr. Willan, übersetzt v. L. Calmann. Leipzig 1835.

(2) P. Frank, de curand. hom. morb. epitome, tom III. Viennae.

Distinguuntur species urticariae chronicae quinque.

1) *Urticaria evanida*. Prorumpunt et evanescent pomphi secundum aëris atmosphaerici temperiem et illud singulare habent, quod in frigido magis emergunt, in calido evanescent. Tum rotundam, tum oblongam speciem praebent. Produci possunt in cute disposita frictione vel scalpendo; nunquam vero, secundum Batemani observationes, rubore diffuso circumdati sunt, quod Schoenlein (1) negat, quum ruborem diffusum, flavescentem, latitudine digiti in margine se vidisse affirmet. Eruptio consociata est cum pruritus vehemētissimi sensu, qui multum adaugetur, si aegrotus lectum petit. Quod ad durationem pertinet, varie in variis hominibus se habet; in uno tantum per aliquot dies, in altero per aliquot menses, in tertio denique per multos annos consistit, quod fit, prouti eruptionis causa removeri potest, aut nequit. Aegri cephalaeam queruntur, lassitudinem membrorum, dolorem per totum corpus trahentem, sensum pressus in regione epigastrica et obstructionem alvi. Interdum vomitus advenit. Febris si adest, crescit ad mediam usque noctem, sitis magna. In omni aetate et utroque sexu haec species occurrit, praecipue autem in hominibus temperamenti sanguinei, ceterum autem in viris frequentior, quam in feminis. Crisis fieri potest primum per cutem: sudor oritur, eruptio evanescit sine epidermidis desquamatione; deinde per renes: sedimentum in urina ex acido lithico cum muco; denique sive per tractum intestinale sive per ventriculum: diarrhoea biliosa aut vomitus biliosus ex-

---

(1) Schoenlein: Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie, 2, Band, Würzburg 1832.

oritur, nullo dolore comite; pomphi disparent. Interdum vero fit, ut eruptio retrogradiatur, in quo casu cerebrum quidem non tam frequenter, quam systema gangliosum abdominale afficitur, quamobrem febris gastrica nervosa saepe sequela: pulsus frequens, lingua sicca, abdomen tensum ac dolens.

Quod attinet hujusce formae causas, Batemanus irritabilitatem membranae ventriculi mucosae adauctam et idiosyncrasiam quandam accusat, Willanus autem certa potissimum alimenta postea commemoranda, quamvis experientia saepe edocti simus, diartam ac vivendi rationem commutatam auxilium nequaquam semper ferre. Praeterea inter causas quoque referuntur irritamenta hepatis et physica et psychica; etiam aëris constitutione quadam procreari haec forma contenditur, sicuti anno 1825 Wurceburgi epidemica observata est. Peculiaris denique additur a variis scriptoribus species, quae in mulieribus provectoris aetatis apparere solet, cum mensuum fluxus jam cessaverit. Teneritudo ac sensibilitas cutis adaucta semper adest et eae potissimum mulieres afficiuntur, quae antea rheumatismo multum laborarant.

2) *Urticaria perstans*. Differt haec forma ab antecedente in eo, quod rubore jam evanido pomphi remaneant; praeterea tactu duriores magisque supra cutis superficiem eminent; pruritus interdum pelle calida solummodo accedit. Sensim sensimque evanescent quidem, sed relinquunt per dies aliquot maculam subrubram. Symptomata gastrica biliosa nunquam fere desunt.

3) *Urticaria conferta*. Pomphi in magna copia adsunt, confluant in singulis locis, ita ut speciem irregularem praebent; interdum basis valde inflammata,

pruritus continuus et vehemens. Hi praecipue homines ita afficiuntur, qui magis quam quadraginta annos nati, cutem siccam possident.

4) *Urticaria subcutanea.* Pomphi sub cute quasi occulti vel retenti apparent; antecedit plerumque eruptionem intolerabilis fere pungendi sensus, tanquam acus per pellem pelleretur, qui quidem sensus principio in uno tantum loco in brachio vel femore adest, sed mox super totum corpus extenditur. In singulis solummodo intervallis sequitur eruptio, quae diebus aliquot praeterlapsis evanescit. Eodem tempore dolor in regione epigastrica sentitur, et musculi membrorum inferiorum ad spasmos clonicos dispositi sunt.

5) *Urticaria tuberosa.* Pomphi crescunt magna cum rapiditate ad magnam amplitudinem, conformant tuberositates duras, quae in cute profunde sedent, dolent ac partis affectae usum vix permittunt. In membris potissimum et lumbis observantur, altum temperiei gradum habent et dolent per aliquot horas; vulgo noctu apparent, evanescunt mane magnamque totius corporis lassitudinem relinquunt. Interdum in apice vesicula parva fluido limpido impleta.

Vulgo creditur, pomphos in urticaria tantum neque inveniri cum alia quadam eruptione conjunctos; sed jam *Bate manus* l. c. mentionem fecit eruptionis, ubi primum pomphi in cute exstiterunt, qui postea in papulas transierunt. Pomphi ipsi in basi colore subrubro, irregulares; rubore autem post dies aliquot evanido parvae remaneant eminentes ac valde prurientes papulae. Dum primi ita conformantur, alii alio loco erumpunt, donec totum fere corpus papulis obiectum est, quae hic et il-



lie confluunt. Haec eruptio tantum in infantibus observatur, incipit primo vel quarto vel quinto post partum mense ac pertinacissime remediis per multos interdum menses obstat. Neque solum pomphi, sed et papulae pruriunt, praesertim noctu, ita ut aegrotus dormire non possit. Praeterea pomphi in lichene pilari. Observatio enim facta est, hos facile ad lichenem pilarem accedere tum potissimum, cum papulae prurientes scalpantur, quod Nasse quoque experientia approbatum vidit. Eodem modo cum strophulo conjuncti exoriri possunt, nec non, sed in adultis solum, cum prurigne formicante, si fricatur; etenim tum primum color cutis ruber fit ac pomphi mox sequuntur. Quodsi vero una cum strophulo adsunt, eruptio per tempus longum persistere solet.

Denique est purpura, quae ex sat frequenti complicatione cum pomphis purpurae urticantis nomen accepit. In hac specie pomphi praecedunt, neque vero iidem sunt, sicut in urticaria. Bateman ait, eminentias esse epidermidis, sine pruritu exortas, quae dilatentur, planiores paulatim fiant et colorem ex rubro in lividum mutant. Prorumpunt sensim sensimque in variis locis diversumque praebent colorem: qui novi erumpunt, rubri apparent, dum alii nigrescunt et disparent. Magna copia in femore conspicitur, ubi saepissime mixti sunt cum petechiis, rarius in brachio vel pectore cernuntur. Affectio durare solet per tres vel quinque septimanas, plerumque occurrit in aestate et autumnis, atque hi homines maxime ei expositi videntur, qui alimentis saepe corruptis vivere coacti sunt, praeterea in femiis, quae vitam degunt luxuriosam simulque sedentariam. Oe-

dema membrorum inferiorum potius quam superiorum fere semper eruptionem comitatur. Memoratu digni sunt casus nonnulli a Cl. Truестедт hic observati, ubi purpura urticante jam antegressa nodi in tela cellulosa subcutanea indurati ac magni circuitus in crure relinquebantur, ita ut speciem praebent elephantiasis Arabum. Qui nodi per annum in uno aegrotō, in altero per aliquot annos, in tertio per longius quoque tempus durabant et omnibus remediis vehementissime resistebant.

Quatuor igitur sunt papularum formae, quae cum pomphis saepe junctae observantur, ex qua re verisimile videtur, affinitatem quandam intercedere inter utramque eruptionem, quae eo probabilior sit, quum fere semper eandem vitalem cutis conditionem in iis animadvertamus neque remedia ad sanandas eas multum inter se differant.

De origine, rationibus et causis, quae pomphos chronicos producunt, multae ac diversae sunt scriptorum observationes. Scimus, eos interdum extrinsecus evadere. Ita Petrus Frank l. c. iam ait, refrigerationem sive transpirationem suppressam causam esse posse. Batemanus vidit eruptionem ex excalescentia. Alii observarunt pulverem, insectorum quorundam ictus et in genere cutis irritamenta causam constituere. Eo modo provocantur in cute disposita unguentis acerbis inunctis, kali hydroiodici, et foliis urticae, si cum cutis superficie in contactum veniunt. Ipse vidi casum, ubi sola cutis frictione apparuerunt, alium, ubi balneum frigidum eos produxit. Ita etiam narratur existere interdum ex vestibis sub aëris temperie frigida depositis. Jam ex longo tempore mentio facta est pomphorum

certis quibusdam alimentis productorum. Willanus, Batemanus, P. Frank, Lieutaudius, suis quisque observationibus nixus, afferunt hasce imprimis res, quae ob idiosyncrasiam quandam et peculiarem ejusque hominis naturam chronicam eruptionem facere soleant: Astacus fluviatilis, echinus, cancri, mytili, mel, farina arenacea, amygdalae, testacea, nuclei cerasorum, druparum, rubus idaeus, fragaria vesca, rapum, cucumeres virides cuticula adhuc obtecti, radix Valerianae, spiritus vini, vinum austerum, acetum, saccharum, pisces, vegetabilia cruda, caro semicorrupta; cibi aromate nimis conditi, panis ex farina vetusta, caseus putrefactus, allium, rhus toxicodendron, oleum terebinthinae, diuretica acria. Urticariae confertae causa interdum est magna vitium contentio, inter omnes vero causas frequentissima profecto diaeta quam maxime lauta.

Sicuti morborum cutaneorum pars maxima aliarum potius affectionum symptoma est, quam idiopathicum hujus organi morbum constituit, ita denique et pomphi symptomati interdum ex morbo organi interni quodam profecti sunt. Sunt quidem exanthemata et eruptiones, quae, ubi in pelle apparent, certum quoddam organon interdum aegrotasse judicant. Ita pemphigus sine ulla forsitan exceptione nos concludere sinit, renum imprimis functionem esse alienatam. Etiam de erythemate dubitari fere non potest, quin originem in plurimis casibus ex eodem fonte ducat; et in infantibus, qui porrigno larvali laborant, et in senibus pruritu continuo, herpete

---

(1) Lieutaud. synops. med. 1, 1, l. 2 sect. IV. Cap. cut. macul. et efflorescent.

et aliis affectis, renum functio perversa videtur. Praeterea aliae cutis aegritudines ad alia organa interna spectant. Unae indicant affectionem morbosam, vel functionem alienatam ventriculi, canalis intestinalis, irritationem membranae mucosae ex dentitione; alterae scrophulosin, syphilidem, arthritidem, hydrargyrosin; tertiae denique functionem nervorum turbatam vel abnormem sanguinis mixtionem. Sin vero pomphi symptomati apparent, dici quidem pro certo non potest, quodnam organon internum aegrotet, etsi in plurimis casibus multa sunt, quae pro affectione membranae mucosae ventriculi certant. Tum irritabilitas adaucta, tum irritatio ex irritamentis externis vel internis adest. Praeterea etiam in morbis lienis pomphi obvii sunt, ac praecipue in hypertrophia et obstructione, quamquam lien tale organon non est, quod multum faciat ad conformandas cutis eruptiones; urticariae evanidae fortasse forma est, quae lienis morbos comitatur, cum intermittens quasi sit et intervalla lucida habeat, atque in omnibus aegritudinibus, quae intermissiones faciunt, lien quam maxime respiciendus sit. Cl. Nasse observavit casum, in quo urticaria evanida cum morbo cordis consociata erat; num quid fortasse circulatio sanguinis turbata fecerit ad conformandam hanc eruptionem? Qua praesente, symptomata morbi cordis multo imminuta, eadem retrogressa multo adaucta et pejora esse solebant. Sic et hepar interdum producit urticariam, in quibus casibus fere semper bilis secretio turbata.

Una frequentissimarum complicationum cum pomphis est dentitio, quae salivae mixtionem perversam et exinde membranae mucosae canalis intestinalis irritatio-

nem semper secum ducit. In omnibus hisce variorum organorum morbis pomphi pro tempore crisin faciunt, quare simulac erumpunt, fere semper sanandi conamen naturae habendi sunt. Interdum fit, ut ad pomphos chronicos febris accedat; etenim si causa, quae aegritudinem cutaneam protulit, per longum spatium durat eamque quasi nutrit, ac praeterea superficies cutis irritata valde ampla est, febris vasorum reactione oriri potest. Eodem modo pemphigus, lepra, herpes aliaeque eruptiones, quae plerumque sine febre decurrunt, cum ea decomponuntur; febris ipsa levis, ephemeræ similis a vix sensibili cutis refrigeratione incipiens, quam sequitur calor cum siti haud magna, capitis molestia vel levissimo ejus dolore ac singulari quadam circa praecordia anxietate et debilitate.

Quod ad conditiones cutis vitales spectat, quae cum pomphis una adesse possunt, hae variae sunt:

1) *Hyperaesthesia*: ea conditio, ubi irritamenta normalia faciliorem et majorem plerumque reactionem efficiunt, quam in organo sano producere solent. Haec conditio in iis casibus esse videtur, ubi pomphi exoriuntur jam ex temperie aëris atmosphaerici mutata, ex sola frictione, e balneo frigido. *Hyperaesthesia* cutis manifestare se potest sive sola sensibilitate sive secretione alienata; in plurimis casibus utrumque conjunctum. Lenia irritamenta jam dolorem faciunt, vestes crassae vel ex lanæ paratae non feruntur; sensus pruriens vel pungens in pelle; cutis ipsa calida, tensa, sicca sentitur neque humida fit, si fricatur; turgor vitalis auctus.

2) *Torpor*: tum pomphi plerumque symptomatice ex morbis internis; cutis mollis, flaccida, frigida.

3) Congestio: cutis coloris rubri, aliquid tumefacta, sudorem aquosum secernens; intervalla lucida; si congestio cum hyperaesthesia junctae, cutis tensa, si cum anaesthesia, collapsa sentitur. Pomphi plerumque tam diu durant, quam congestio ipsa, ac saepe cum eadem evanescent.

4) Plethora: cutis semper rubra, livida, tumefacta, secretio turbata; conditio continens; cum plethora plerumque urticaria perstans conjuncta.

5) Olighaemia: cutis pallida, frigida; ea conditio saepe in hominibus, quorum cutis per longius tempus morbis debilitata est, ac praeterea in iis, qui magnam sanguinis jacturam perpessi sunt.

6) Inflammatio: cutis calida, urens, dolens, tumescens, rubra; urticaria febrilis.

7) Rheumatismus; cutis tum sicca, tum humida, dolor trahens, vagus.

Cujusnam structurae pomphi sint, hac de re variae exstant variorum scriptorum sententiae, etsi eam non satis explicant. Ita alii putant esse vasa dilatata, alii materiam in corio exsudatam. Sub vitro biconvexo pomphus apparet eminentia e substantia densa, colorem pallidum praebente. Apertura nusquam conspicitur. Digito prementi non cessat, sed quo magis premitur, eo fit pallidior. Acupunctura facta non collabatur, neque quidquam fere sanguinis effluit. Sectione decussata adhibita guttae sanguinis nonnullae modo emanaverunt, durities autem remansit, quae etiam sanguisuga in medium applicata nondum evanuit. Acido sulphurico si tractatur, color mutatur ex pallido in fusco flavum, pruritus diminuitur, cujus loco dolor pungens urens occurrit.

Laminis e plumbo praeparatis et fascia cuti alligatis reprimi potest pomphus. Unguento hydrargyri cin. et ung. kali hydroj. inuncto celerius disparet.

Ex hisce paucis experimentis non videtur verisimile, pomphos procreari vasis dilatatis, nam acupunctura vel sectione decussata potius adhibita major fuisse deberet sanguinis copia excreta, nec tumor ipse tam durus fuisset, ac sine dubio reprimi posset. Pro materia firma exsudata certat durities remanens post sectionem factam et sanguisugam appositam. Contra materiae satis firmæ exsudationem certat, quod pomphi celerrime interdum intra minutas aliquot horae partes apparent, iterumque disparent; si autem materia fluidior esset, forma fortasse non tam circumscripta esset et incisura facta aliquid efflueret, necesse videtur.

### PROGNOSIS.

Pomphi eruptionem constituunt, quae secundum experientiam inter eas numerari debet, quarum decursus quam optimus est. Neque fere unquam exitus vitae periculosi expectandi sunt, ac fortasse in eo casu solummodo, ubi reprimuntur vel cura falsa, vel tali cutis conditione vitali, quae eos ad florem pervenire non sinit; tunc enim timendum, ne morbus internus metastaticus ex retrogressionem prodeat. Quodsi sit, rarius cerebrum afficitur, sicuti repressis aliis eruptionibus vel exanthematis fieri solet, sed febris gastrica ad conditionem nervosam disposita saepissime sequitur.

In cute valde irritabili exorti decursum plerumque habebunt celerem, pruritus erit maximus, rubor valde diffusus; facile redibunt pomphi; si ex irritatione vel

externa vel interna nascuntur, tam diu in pelle persistent, quam irritatio durat; irritamento remoto mox disparebunt, si cutis ipsa duratione irritamenti adeuntis longa haud morbose affecta remanet. Quando irritabilitatem cutis adauctam jam torpor secutus, pomphi in genere aut multum temporis ad perfectam conformationem poscent, aut profunde in pelle sedebunt, aut, si jam eruperunt, per magnum temporis spatium durabunt; etiam retrogradi iterum possunt. In urticaria febrili praedicere potes, cum prodromorum symptomata vehementia sunt, ea aut mitigari aut omnino cessatura eruptione facta. In hominibus, quorum cutis disposita ad formandos pomphos, satis certum est, eos si irritamenta et causae producentes non arcentur, mox redire. Quodsi fit, cutem magis magisque paullatim dispositam reddent. In adultis, qui diactam lautam gerunt, facile, si semel adsuerunt, redibunt. Pomphi symptomatici, ex morbo organi interni dijudicandi, cum hoc cessabunt, crescent, decrescunt. Si ex epidemica aëris atmosphaerici constitutione prodeunt, indolem plerumque maligniorem habebunt. Si irritantur, in suppurationem aut in ulcera indolis benignae, dyscrasiis non adeuntibus, transire possunt. Sudor totius corporis, sedimentum urinae, diarrhoea biliosa, vomitus biliosus bona signa ac saepe molimina critica. Pomphi super totum corpus propagati facile turbant transpirationem, quo primum fit, ut, si pellis aliquamdiu functione sudoris discernendi caret, alia organa ex hac secretionem retenta morbo saepe metastatico afficiantur ac praeterea cutis ipsius actio debilitetur. Functiones organorum internorum turbatae imprimis sunt, quae inde provocantur, multo rarius degenerationes. Ita



jam observatum est delirium, spasmi clonici et tonici, pneumonia, diarrhoea, phlegmhyenitis. Sequelae frequentissimae existunt febres, inflammationes, rheumatismi. Inter degeneraciones, quae inde secutae esse dicuntur, anasarca, hydrothorax, hydrops ascites, arthritis, diabetes quoque enumerantur. Pomphi in cute maxime irritabili: sudor aequalis, vaporosus irritabilitatem multum diminuet. In cute torpida anasarca timenda, pro omnibus aliis organis omnes sequelae functionis cutis turbatae.

In cute congestionibus laborante non bene erumpent, quum quaque congestione vis vitalis organi affecti minuat; sudor conditionem meliorem fortasse reddet. Congestio fortis sere semper febrem excitat. Si plethora cutis exstat, vis vitalis in pelle debilitata est impletione vasorum cum sanguine nimio, quare eruptio tarda. In olighaemia cutis decursus chronicus, anasarca interdum sequetur; cutis satis rubra vel turgescens bonum signum.

Ubi inflammatio cutis cum pomphis adest, epidermidis desquamatio inflammationem resolutam sequitur, suppuratio exspectanda in satis vehementi inflammatione longae durationis, aut ubi irritamentum removeri non potest; gangraena metuenda, si inflammatio vehementissima, vis vitalis valde afflicta, aut inflammatio cum anasarca complicata est, aut pars inflammata continue premitur. In rheumatismo cutis cum pomphis complicato sudor multum proderit; rheumatismus vehemens eodemque tempore chronicus facile abit ex irritabilitate ad aucta partis affectae in inflammationem.

## CURA.

In pomphis curandis ante omnia spectandum est, ut quae causa eos produxit, removeatur et extirpetur. Cum causa interna eruptioni subest, tum omnis primum attentio in illam convertenda et eruptio, ut alterius symptoma morbi, aut salutaris interdum crisis, tractanda. Deinde cutis conditio vitalis alienata quam maxime perpendenda. In irritatione et irritabilitate cutis adaucta omnia primum irritamenta arcenda, ac deinde cutis ipsius conditio in meliorem vertenda, quam ob rem ea potissimum remedia eligenda sunt, quae mitigant, irritabilitatem diminuunt ac postea vim pellis tollunt, quum in irritabilitate adaucta vis organi affecti semper debilitata sit. Suppressa transpiratio, menses, haemorrhoides suppressi iterum revocandi, vinum, liquores, diaeta lauta et alimenta omnia jam supra allata vitanda. In torpore cutis remedia irritantia adhibenda, quae vim vitalem in pelle incitant ac sanguinis circulationem promovent. Si congestio sanguinis ad cutem adest, ea morbosa conditio tollenda, quae congestioni subest, nam congestio semper conditio secundaria. Plethora fere semper derivantia, interdum detractiones sanguinis, vel generales vel locales, sin autem cum torpore conjuncta invenitur, irritantia exposcit. In olighaemia cutis frictiones commendandae, in inflammatione remedia antiphlogistica, in rheumatismo diaphoretica cum derivantibus indicata videntur. Symptomata gastrica, lingua albide oblecta, sapor nauseosus, dispositio ad vomitum, indicant, si contraindicationes peculiares, ut congestio sanguinis ad cerebrum, phlegmhymentis etc. non adsunt, emeticum.

Laxantia quoque laudantur, attamen tali successu non adhibentur, cum non tantam in cutem ipsam vim exercent, quam emetica. Diaeta sit blanda et alimenta, quae sumuntur, facile digerenda. Urticaria febrilis interdum exposcit venae sectionem, quae tum potissimum indicata videtur, si nimia sanguinis copia ac maxima vasorum impletione eruptio aut plane non fit, aut tali tantum gradu, ut retrogressio sit timenda.

In eo casu autem summum remedium haud immerito aestimatur vesicans, quod partim per irritationem provocare eruptionem potest, partim autem eruptionis loco optime substituitur. Fortasse etiam lotiones cum aqua frigida in cute urente ac sicca auxilium ferent, etsi vulgo creditur, aquam frigidam reprimere tantum quamque eruptionem neque ullo modo posse eam proferre. Sed jam Angli recentissimo tempore nos docuerunt, lotiones frigidas sub iisdem cutis conditionibus in scarlatina cum successu optimo adhiberi atque exanthema sub spongia, aqua frigida impleta, quasi florescere incepisse.

Negari autem non potest, in hisce lotionibus frigidis adhibendis caute agendum et conditionem cutis vitalem bene antea perpendendam esse. In lichene urticato, praemissis laxantibus, acidum sulphuricum dilutum interue cum ferro vel china. Prurigo formicans cum pomphis, cui semper fere morbus constitutionalis subest, postulat plerumque aquam sulphuratam, aquam Chlori externe, interne sulphur cum natro carbonico, decoctum Sarsaparillae, Serpentariae, cum torpor cutis saepissime cum hac complicatione conjunctus sit. Plerumque fieri solet, ut medici in purpura urticante, ob consuetudinem et exemplum aliorum magis quam ob certam ejusque casus

indicationem, chinam, acida, ferrum praescribant, quia vulgo creditur, fibrinae qualitatem in sanguine alienatam ejusque copiam normalem diminutam esse. Haud dubie multum in multis casibus haec remedia profecerunt ac proficient; sed num in omnibus temere ac sine accuratioris conditionis praesentis diagnosi dari debeant, dubitare adhuc licet, quum variae esse queant causae, quae purpuram producunt. Atque revera jam exempla exstant, ubi ex venae sectione facta summaque antiphlogosi successus quam optimus observatus est. Quare in morbo gravissimo hocce curando cura quaedam specifica, quae ubique apta sit, in usum vocari non potest, neque in omnibus casibus una eademque remedia conducent.

Quodsi cura interna non sufficit, ad adjuvandum eam externa quoque remedia nobis suppetunt, quae multum interdum certe emolumentum ferunt. Jam per se intelligitur, praeferenda esse ceteris irritantia vel mitigantia vel alius indolis remedia secundum cutis conditionem vitalem. Primum locum obtinent balnea, quae in omnibus fere cutis morbis momenti sunt maximi: pruritus mitigant, irritabilitatem minuunt atque sudorem provocant; tepida apta sunt in irritabilitate adhaerente, ubi pomphi erumpere nequeunt, aut post eruptionem retrogressi sunt. Balnea tepida sulphurata, inunctiones hydrargyri cinerei, emulsiones e Camphora ei alia in torpore cutis bona remedia.

---

## V I T A.

---

**N**atus sum ego C. J. Velten d. 7 m. Maji anno MDCCCXIX Ahrvillae patre Antonio Velten, medicinae et chirurgiae doctore ac circuli Ahrvillensis t. t. physico, et matre e gente Wolff. Fidem confiteor catholicam. Anno MDCCCXXIII Bounam petii ibique in primis litterarum rudimentis imbutus, gymnasium adii, in quo quum per octo annos versatus essem, anno MDCCCXXXVIII in almae Fridericae Guillelmae Rhennanae civium numerum receptus sum a t. t. Rectore Magnifico Prof. Cl. Weleker. Rei medicae studiosis me adscripsit Prof. Cl. Harless, t. t. decanus.

Praelectiones, quas frequentavi per quatuor hosce annos, hae sunt:

Logice, psychologia apud Cl. ab Calker, physice experimentalis apud Cl Pluecker; mineralogia apud Cl.

Noeggerath; zoologia apud Cl. Goldfuss; chemia apud Cl. G. Bischoff; botanice apud Cl. Treviranum. Anatomiam mihi tradiderunt Cl. Mayer et Weber; quorum auxilio etiam exercitationes institui in cadaveribus dissecandis. Encyclopaediam et methodologiam medicinae, pathologiam generalem Cl. Naumann mihi praecepit. De materia medica, de formulis medicis rite concinnandis Cl. E. Bischoff audivi; de chirurgia, de operationibus chirurgicis, de oculorum morbis, de fasciis rite applicandis, de anatomia chirurgica Cl. Wutzer audivi, ejus clinicum et polyclinicum, chirurgicum etiam per annum frequentavi. De operationibus in cadaveribus instituendis Cl. Dr. Fischer auctor mihi fuit. De therapia generali ac speciali, physiologia a Cl. Nasse doctus sum et per semestre clinicum propaedeuticum frequentavi, medicum autem per annum. Doctrinam artis obstetriciae et instrumentorum, quibus utimur in arte obstetricia, Cl. Kilian mihi tradidit, ejusque clinicum obstetricium per annum adii. Ut rei publicae legibus satisfacerem, per annum chirurgi militaris voluntarii munere in septima equitum hastatorum cohorte duce cl. Dr. Kallmann functus sum.

Quadriennio autem praeterito in almam academiam Berolinensem me contuli et a Rectore Magnifico Ill. Dieterici in numerum civium academicorum receptus, ab Ill. Juengken, gratiosi medicorum ordinis Decano

spectatissimo, in medicorum album inscriptus sum. Disserentem audio Ill. Juengken in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, Cel. Truestedt in clinico medico-chirurgico.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis gratias ago, semperque habebo, quam maximas.

---

## T H E S E S.

---

1. Somnus nihil aliud, quam irritabilitas cerebri diminuta.
  2. Diabetes est morbus sanguinis symptomaticus ex indigestione.
  3. Phthisis pulmonalis non repugnat venaesectioni.
  4. In hypopio paracentesis corneae rejicienda.
  5. Bubonem syphiliticum ad resolutionem ducere non licet.
  6. Medicus forensis ante sectionem acta inspiciat necesse est.
  7. Divisio morborum in stadia negligenda.
  8. Cura panni per inflammationem provocandam aspernanda.
-